Jogy Bawe. 1563. July 22

ALMANACH

NOVVM ET PERPETVVM, IN QVO MVLTI PROGNO-

starum abusus deteguntur, & vulgi deprauatæ opiniones refelluntur, & in quo ex veterum doctrina, traditur ratio opportunè agendi ea, quæ circa corpus nostrum agenda sunt.

of Stoffolde
5
Pr. 2.

Autore,

PETRO DACQVETO

Doctore Medico.

Ἡ μὲν ἀνάγκη οὐδένα νόμον ἔχει.

Necessitas non habet legem.

1556.

Med.
8°. L. 37.

CAPITA
HVIVS LIBRI.

1. De opportunitate purgandi & Venæ secandæ in ægrotis.
2. Quando in sanis hæc eadem remedia adhibenda sint.
3. De usu balneorum.
4. De incisione membri in quo est luna.
5. De Cauterijs & sectionibus.
6. De unguium sectione & rasione barbæ.
7. De tempore generationis & conceptionis.
8. De uirtutibus naturalibus.
9. De gargarismis.
10. De uomitiuis.
11. De usu Clysterum.
12. De forma medicamenti.
13. De fortunis Principum. de pace & bello & similibus rebus.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO. D. Thomæ Elienſi Epiſcopo, domino ſuo imprimis obſeruando, Petrus Dacquetus. S. D. P.

QVVM NON ita nuper, ampliſſime Præſul, mihi Londini cum nobilibus quibuſdam & doctis uiris diſputatio quædã eſſet, non inutilis ſane nec iniocunda, de Aſtrologorũ prædictionibus ſcilicet, ubi tum inter cætera demonſtrauimus, multa ab illis prædicta fuiſſe, quæ non euenerũt, & multa euenisse etiam magna, ut inundationes, ſudores & peſtes latè uagantes, quæ ab

illis tamen prædicta non fuerunt: tan-
dem nobis proposita fuit a quodam in-
ter alios hæc quæstio, utrum scilicet ex
eorum præscripto obeunda essent ea re
media, quæ certis notis ab ipsis indicũ-
tur certis diebus: et præcipue de uenæ
sectione & purgatione hoc quærebā-
tur: quæ sunt duo totius artis medicæ
præcipua remedia, quorumq; est tũ ad
ægrotos, tum ad sanos quosdam ad plu
rima usus plurimus. Quorum si alte-
rutro abutaris, certam perniciem aut
certe magnum adferas malum: sin ue-
rò utaris benè ac opportunè, maximum
præstiteris ad sanitatem cõseruandam
aut recuperandam emolumentum. Ibi
quum certa quædam responderemus,
quæ sodalitati quæ aderat satis face-
rent, iudicaui Aplitudini tuæ non ab-
sur

ſurdum uiſum iri, nec ingratũ fore, ſi capita eius diſputationis ad te, quem præter cæteras uirtutes tuas, bonarũ artium omnium & literarũ amatorem & cultorẽ norũt omnes, breuiter tranſcriberem, & A. T. libellum hunc dedicarem. Nã tametſi argumẽti genus tibi (ut uir es uirtutum & diſciplinarum omnium ſtudioſiſſimus) non diſpliciturum, ſatis certo ſcio: tamen quum ob uitæ integritatem, animi candorem, fidei ſummam obſeruationem, pietatis ſtudium non uulgare, & ob reliquas animi & naturæ dotes quæ & tecum natæ ſunt, & in omni uita et actione tua relucent, merito tuo admirabilis & reuerendus ſis omnibus: conſpexi autoritatem tuam & patrocinium tuũ mihi ualere poſſe maxi-

timè aduersus eos, si qui, ut forte cõtingit, re male intellecta audebunt rationi, experientiæ & autoritatibus grauissimorum uirorum, quibus utor, oblatrare. Etenim hic deteguntur multi medicorum & prognostarum quorundam errores, & uulgi etiam depraua-tæ opiniones, quas scilicet ex istorũ nimium superstitiosa traditione concepe-runt, redarguuntur: & in qua simul ex ueterum doctrina demõstratur oppor-tunitas utendi ijs remedijs quæ sunt in arte medica præcipua: & alijs quibusdam, quæ etiam ad curam corporis nostri pertinent. Addidimus etiam paucis uerbis sententiam nostram, de ea Astrologiæ parte, quæ solet prædicere principum fortunas. Hec dũ agimus nihil tamẽ grauius dicimus in Astronomiam

mi ã, cuius causa oculos nobis à natura datos esse, cũ Platone persuasum habemus. Sed de huius laudibus alias latiùs. Nunc nobis solũmodo est in aĩo quam breuissime ostendere remediorũ occasiones, non ex astris, sed potius ex corporum nostrorum affectibus esse petẽdas. Et tametsi astrorum facultates nõ denegamus, tamen in medicina & in omni uita communi plurima contingere, quæ astrorum facultates & inclinationes irritas, & nihili, aut saltẽ incertas efficiant. ut multis locis fatetur & docet etiam ipse Ptolomæus, Trapezuntius, Pontanus, & multi alij insignes astrologi.

Est autem hæc disputatio uel imprimis utilis reip. Nã quia uulgus ex istorum superstitiosa, indistincta, & incerta tra-

ditione, sæpè remedium opportunum de
trectat aut differt inutiliter, sæpe id
ante tempus male exercet temere &
noxiè, ex hac instructione hæc incõmo-
da imposterũ deuitabuntur. Nam qui
cumq; uel hinc uel etiam aliunde didice-
rit morborum exteriorum & interio-
rum naturam, uim, causas, & naturam
partium, in quibus morbi seu accidentia
contingunt, non adeò post hac eorũ ge-
nerationis culpã imputabit syderibus,
ut rationem seu opportunitatem eadem
curandi ab ijsdem petat: ne forte dum
cũ Thalete philosopho nimis anxiè in
quirit seu speculatur ea quæ fiunt in cœ
lis, negligens ea quæ sunt ante pedes, cũ
eodem in foueam cadat, cum magno
ægrotantium damno, aut potius cum
certo nonnunquam eorum interitu.

Sed

Sed ne sim tibi Amplissime præsul prolixitate molestior, qui grauissimis negotijs occuparis, faciam finem, & ad rem institutã accedã. Quod si hæc in bonam partem accipi intellexero, ut de humanitate tua non dubito, spero propediem me iustiore uolumine meam erga te gratitudinem declaraturum. Restat igitur ut me Ampli. T. quã possum humillime & officiosissime commendem. Londini, ad Calendas maij. Anno Domini. M. D. LVI.

A. T. cliens

Petrus Dacquetus.

Epigramma ad lectorem.

Seu tundas ægro uenam, Seu Pharmaca quæuis
Exhibeas, medica ars qualia ferre solet,
Ne prognostarum præsagia manca petantur,
Nec Chaldæorum uana superstitio,
Admonet iste liber, sincero dogmate, certa
Designans morbis tempora quæque suis.
Hippocratis sacras leges, & sancta Galeni
Consona naturæ iussa sequenda docet.

CAPVT. I.

DISPVTATIONEM noſtram exordiri viſum eſt ab ea quæſtione quæ maximi eſt momenti, tametſi fortaſſe quibuſdam parum probabitur, anteq; orationis finem & rationes ſimul & autoritates grauiſſimorum autorum quibus vtimur, exactè perpenderint. Itaq; ſi quis nos roget, vnde nam occaſionem purgandi aut ſecandæ venæ accepturi ſimus: num ex Prognoſtarum indictionibus, quas ferè parum ſecuras, et ſæpè parui momenti eſſe oſtendemus: an potius relictis ſyderum aſpectibus, in corporibus noſtris eam inuenturi ſimus: Certè hîc pauciſſimis verbis putamus reſpõdendum: occaſionem hanc præſtari nobis ex morbi præſentis vel futuri magnitudine & robore viriũ. in quo omnes medici probati inter ſeſe cõſentiũt. Nonenim illi morbi ſolum, qui ex plenitudine aliqua oriuntur, euacuationem requirunt, ſed illi etiã qui præſtãtem et nobilem partem occupant, aut aloqui magnum locum

Occaſio remediorum non ex ſyderum aſpectibus, ſed ex corporibus noſtris accipienda eſt.

Gale. li. 4. meth. & li. de cura. per ſect. uenæ

cum, aut qui existũt maligni. Id quod Hippocrates in lib. de vlceribus, & Galenus in Methodo suo satis docent. Et monẽt ijdẽ, morbi ac doloris magnitudinem considerandam, & fluxionis conditionem, et naturæ motũ, & morbi: Vt siquid bene & vtiliter tẽtet natura, eam iuuemus: si quid morbus tentet male, eius motum inhibeamus. Facit hoc semper per se satis natura in sanis, suis viribus utens, quæ materiam omnem siue quantitate siue qualitate siue vtroq; modo molestam, corpore excludit per conuenientem locum, nisi à causa aliqua magna impediatur, quam semper vtpote optimam ducẽ imitari debemus, non solis istis duobus remedijs eam iuuantes, quod multi hodie imperitiores faciunt, qui nil nisi venam secare vel purgare norunt, (atq; vtinam id vtiliter, prudẽter & opportunè facerent) sed quum sit corporum & morborum diuersitas infinita, vnicuiq; suum remediũ inuenire & adaptare conabimur. Itaq; primum affectus ipse & affectus locus cognoscendus est, quod plurimis locis docet Galenus. Deinde ob oculos habẽda sũt hæc, ætas cuiusq;, tẽperatura, facultas, color, calor, habitudo, industria

Lib 4. me. Apho, 7. li 6. & apho. 21. li. 1.

21. commẽ. in. 6, epide. Hipp.

In libris de facult, natu et li. 1. de sanitia. tuen.

li. 1. ad gla. & li. 9. me.

industria, consuetudo, animi mores, sexus, regio, tempus anni, & cœli constitutio. Præterea si qua pars præcipuè affecta est in aliquo morbo, eius partis temperatura consideranda est, eiusq; virtus, forma & situs. Quod si adiungas partis cuiusq; laborantis accidentia, & si totius corporis notas diligenter consideraueris, non solum morbum & morbi causam certius cognosces, sed & remedij qualitatē iam promptius inuenies, & eius vsurpandi modū: addo etiam quantitatem & occasionem. Quæ tametsi talia sunt, vt exacte describi non possint, et quū circa hæc etiam optimi quiq; facile aberrēt, hac tamē via ad ea optime instituenda, proxime accedas. Quamobrem si iam morbus urget, si fluxio aliqua oritur aut increscit, si dolor aut aliud malum instat, aut iam adest, iam nunc tibi proposita est occasio prędictis remedijs utendi, quæ quum alioqui pręceps sit, negligenda aut differenda non est, ne hora quidem vna, (nisi aliud maioris momenti obstet, vt post dicā,) ne interim loci intēperies, aut partis debilitas augeatur, & humor magis impingatur aut incrassescat, aut errabundus in alium locū nobiliorē refluat.

Lib. 2. ad Glau.

Lib. 1. ad Gla. lib. 3. meth.

Cur remediū cōueniens, ne hora quidē differēdum sit.

Hoc

Hoc melius exequetur cũ multorũ vtilitate, is qui intelligit quomodo generentur in nobis morbi, & quæ ex ijs eorũq; causis affectiones corporibus nostris acquirantur, quã qui syderum aspectus contemplatur. nam in omnibus morbis qui ex humorum influxu nascuntur, vt podagra, pleuritis, & similes, (nã de eiusmodi morbis hæc disputatio instituta est, & istis remedijs ferè indigent,) tametsi est in ijs sępe coniũcta partis debilitas, vel a primo ortu, vel post ex causa aliqua parata, tamen quum ex fluxione oriantur, quã diu gignuntur adhuc, id quod fluxurum est, omni hora quoquomodo impediendum est, ne fluat in locum iam morbo obnoxium: et quod iam fluxit, resoluẽdũ est cautè & tutò.

li. 6. Apho. 28. li. de tu morib. cõtra naturã. li. 6. de sanit tuenda.

Nam siquis etiam á prima origine obnoxius sit podagræ, aut si cui fistula aliqua multos iam annos frequenter dehiscere solita sit, & colluuiẽ aliquam reuomere, tamen possem docere ex varijs locis Galeni, neq; podagricos dolores resuscitari, neq; fistulas adaperiri, nisi ex intemperato victu aut simili causa, noua superfluitate humorum denuò collecta, & ad locũ morbosũ delata. Igitur hæc & huiusmodi mala dum in corporibus nostris contingunt, & dum nos urgẽt, siue pur

Podagra ut etiam. alii morbi, potest precaueri.

gatione aut venæ sectione vacuã do aut reuel lẽdo siue a parte repellẽdo, siue fluxũ interci piẽdo, siue partem aliquẽ fluxionis autorem cohibendo aut roborãdo, curanda sint, ego ne momẽto quidem, vt sic dicã, expectandũ arbitror, donec scilicet alius Planeta oriatur aut occidat, & interĩ aut moriatur æger aut saltem peius habeat, nẽpe occasione prętermissa & neglecta, ĩs quos dixi modis. Et si forte complicati sunt affectus, vt ferè fit, etiã horũ statim curatio suscipienda est, prout ordo, causa, & periculũ exigit, vt rectè docet in Methodo sua Galenus. Atq; hæc omnia ita demũ protinus agẽda sunt, nisi aliud quippiã magnum prohibeat, vt spontanea vẽtris perturbatio, animi deliquia, cruditates magnę, & stomachi offẽsiones, ætas, aëris caliditas aut frigiditas insignis, vt Galenus docet primo libro ad Glauconẽ. Hæc tamẽ prognostę nõ ita scrupulosè aduertũt, nec obseruant vt decebat, imo nulla harũ rerum mẽtione facta, etiã in Canicularibus diebus, vt vulgo loqũtur, id est, in feruẽtissima æstate, & in algidissima hyeme persępè suadent purgatiõe & venæsectiõe vti, cõtra veterũ cõsuetudinem, eo rũdẽq; doctrinã. Et cõtrà, si quã do oriatur aut occidat Planeta aliquis, quo

Li. 3. et. 9i 10. 11.

Et per totũ Methodum.

tempore forte aër sit semidie aut quarta die parte tempestuosior paulò ac turbatior, aut intẽperatior, hisce remedijs ōnino prohibẽt vti, quũ tamen sæpe & dispositiones hortẽtur, & magnũ sit periculum in mora, vt supra docui. Neq; tum Galenus, aut veteres medici, aut ratio vlla vetant euacuatione vti, sed potius ea moderatiore ac parciore tũ vtendũ esse monẽt. Astris suas facultates nõ denego. sed de his aliàs. Nec Sorano obluctor, qui sãguinẽ in nobis quater indie naturali, id est, spatio. 24. horarũ mutari ait: imo addo corpus nostrũ à causis cũ externis tum internis multò sæpissime affici & alterari, idem attestante Galeno quũ docet, cur occasio sit præceps. Sed ego cum eodẽ singula quæ in nobis fiunt intus, & quæ foris in nos agunt, sic examinanda arbitror, vt nisi diu & multum aut notabile quiddam efficiant, parui facienda esse existimem. Idq; præcipuè intelligi velim de vniuersali illa Astrologorum prædictione, quæ ob variam regionum locorumq; naturam certa ac firma esse non potest. Et vt talis esse queat, tamẽ à causis maioris momẽti sæpissime vincitur & obscuratur, vt dicetur. Nã si dolor iã urget si

Lib. 1. ad glau. cc. 11. methodi.

Lib. 1. aphor. 1.

Nam aeí pathiã id ẽ perpetuam passionem Galenus nõ admittit.

Pontanus in dialogo suo de falsitate astrologiæ.

si fluxio oritur aliqua, si pars quepiam quoquomodo affligitur, omnino inuenienda & tollēda causa est: quæ qualiscūq; tandē est, & siue grauādo, tendendo, rodendo, aut quo modolibet alterando dolorē infert, aut actionem aliquā vitiat, ipsa certè iamdudū satis per se quid agendū sit indicat, & sui ablationem moliendā esse, sine mora, demōstrat, & urget magis quam syderum aspectus quilibet. Et tametsi ardentium stellarum concursus siccitates inducere, & humida sydera augere humores nunc non nego, tamē quis non videt quotidie cibaria potentia & medicamentosa plus & citius in nos agere, vt vinosum vinum, allium, lactucā, opium, aquā frigidā? Hęc & similia nonne copiosius sūpta, corpus subito tanquam in aliam naturā transmutant? Taceo de vigilia, de motu, & de animi affectibus. Nam omnia hæc plurimum in nos & sæpe subitò agunt, tum ad morborum generationē, tum ad eorum curationem. Adeo vt nisi ex his & similibus causis humores superuacui generētur in nobis, aut qui prius inerant subito multū trāsmutētur, aut ex ignobiliore loco ad nobiliorē affatim irruant, morbus in nobis talis

Quæ res sint in nos efficatiores quam syderum aspectus.

(de qualibus loquuti ſumus, quos euacuatione aliqua curari diximus) ſubito progigni nequeat, quantumuis teter ſit in partem aliquam planetarum aſpectus, aut etiam hæreditaria in parte aliqua debilitas, ut prius in podagra oſtendimus. Quamobrem ſi iam vſquam morbus aliquis inſidet & infeſtat, quem natura per ſe emoliri neutiquam nitatur, aut omnino nequeat, hũc quoquomodo tollere tentabimus quamprimum, ne dum beneuolentiorem ſyderum intuitum præſtolamur, malum ipſum fiat interim ſeipſo peius. nam ſi natura nunc hoc, nunc illo vacuationis genere tum ſanos preſeruat, principia morbi futuri remouens, tũ ægros curat, reliquias morbi fortiter expellens, quouis anni aut diei tempore, quum ſcilicet viribus ſuis vtens, & excrementorum quantitate aut qualitate aut vtroq; laceſſita, vias recludit, & humores noxios excludit: hanc quum morbo ĩpedita eſt, cur non imitabimur, aut potius cur nõ eadem cũ forte aliqua de cauſa impedita eſt iuuabimus ilico, dũ occaſio hæc, nempe diſpoſitio ipſa id requirat, & dolor et periculum alioqui inſtans nos adhortentur, ſtatim ſcilicet eam leuãdo ſuo onere, aliquo euacuandi modo per locum cõueni-

entē, posthabito qualicsiq; syderū aspectu? Præsertim quum vires ferre id remedij genus possint, nec ætas, nec anni tempus, nec regionis natura, nec stomachi aliqua offensio, nec alia corporis aut humorum dispositio prohibeāt. nam hæc & huiusmodi semper ob oculos habenda sunt, quū his remedijs aut nō vti, aut parcius vti, aut alijs eorū loco vti nos admoneant. Quod si hæc impedimenta non adsint, omni vt sic dicam momento licet nobis euacuationibus vti, quales affectus ipse primum indicat & requirit. Hęc sententia congruit cum doctrina Galeni & veterum medicorum, qui indicationes curatiuas redigunt ad tria; videlicet ad morbum, ad corporis temperamentum, & ad aërem ambientem. Syderum aspectuum nusquam meminerunt, vt occasionem hisce remedijs vtendi illinc insinuarent; vt nostri Prognostæ faciunt. Non enim erant tam insipientes, vt non intelligerent à morbo & eius causa primas & principalissimas indicationes sumendas esse, qualiscunq; tandem esset syderum aspectus. Et vt concedam aspectum Iouis aut alius planetæ esse vacuationibus sanguinis fauorabilem, quum lupi-

Galenus l. 4. eth. 4. de sa. vict.

li. 9. meth.

ter ſecundum ipſos ſit calidus & humidus, ideoq; ſanguinẽ poſſit forte reddere fluidiorẽ, & ſolidorum corporum ſubſtantiã molliorẽ & flaccidiorem, & has ob cauſas, vacuationes facilius fieri: & ecõtra aſpectũ Saturni qui ipſis frigidus & ſiccus eſt, vacuationibus obſiſtere ob cauſas cõtrarias. tamen poſſum docere ex veterum monumentis, id multò potius & facilius & certius præſtari poſſe alia via. Nam Hippoc. & Galenus humida dieta, quiete, & potionibus inciſiuis, humores ſeu corpora vacuationibus prẽparãt: & ſiqua corpora laborib⁹, vigiliis, aut alia ex cauſa reſiccata aut obſtructa quoquomodo ſunt, ea vacuationibus inidonea eſſe demonſtrant. Cui ſententiæ ratio etiam omnino conſẽtit. Poſſem hic docere, ſi res exigeret, veteres, ortus & occaſus ſyderũ potius alia de cauſa diligenter obſeruaſſe: nempe vt ſic tempora anni & temporum magnas mutationes deſignarẽt, cum quibus ſcilicet ſimul ventriculi in nobis mutãtur. vnde etiam victꝰ ratio in ſanis & ęgris varia inſtituẽda eſt, vt Hippocrates & Galenus multis locis docent. Nam hic eſt præcipuus vſus Aſtronomiæ Hippocrati & veteribus. Poſſem hic etiam

4. Aph. 13. 2. Apho. 9. 1. Aph. 25.

Gal. li. 1. Aph. 24. Acti. 3. 23. Hip. li. 4 de rat. vict. in morb. acut.

Manar. 15.

etiã docere veteres ex Aſtronomia indicaſſe potius quando nõ liceat vacuationibus vti, quam quando ĩs liceat vti. Nam ex ortibus & occaſibus ſyderum vt modo dixi ſedulò demonſtrant inſignes in aëre exceſſus ſeu intemperies, et magnas mutationes, in quibus medicamentis vacuantibus vetant vti. Nã tum ĩs de cauſis ægrorum corpora etiam Ariſtotele teſte plurimũ lędũtur. atq; hac de cauſa inquit Hippocrates ſub Canẽ & ante Canem difficiles ſunt purgationes. Et Galenus in calidiſsima & frigidiſſima aëris conſtitutione vetat nos integra vacuatione qualicunq; vti. & rurſus Hippocrates circa ſolſtitia & ęquinoctia vrere & ſecare dehortatur. Quanquam ne hęc quidẽ ita accipiẽda ſunt, quaſi in totum euacuatione tunc vti prohibeant, ſed ita demum ea vti etiam tunc licet ſi ex ea plus boni, quam ex celi importunitate mali conſequimur. Nam ex malis, quod minus eſt, eligendum eſt: & damnum potius aliquod quam certa mors eligenda eſt. vt docet etiam Galenus melius eſſe neruũ læſũ tranſuerſum incidere, quã ſpaſmo perire: & opium commixtum vel prępparatum ex hibere aliquando potius quam pati, vehemen-

Aet. lib. 3. cap. 164.

Probl. ariſt

Hip. 4 Ap. 5

Gal. 1. ad G 9. & 11 met

Hi. de aere aqua, et lo.

Eligendũ potius damnum quam mors.

Gal. 3. met.

Gal. 12. m

tia doloris coli, vel aliarum partium ęgrotā-
tē periclitari certa morte. Nā et libro decimo
Methodi, frigidę exhibitione phlegmonem
auxit potius quam pateretur ægrum cadere
in hecticā. Quocirca vt hinc aliquis inferat
ſyderū ortū & occaſum aliquādo prohibere
horū remediorum vſum, non tamen ſequi-
tur protinus, eadem ſola hæc remedia in-
dicere ſeu indicare poſſe. Nam certè non
ex cęlo, ſed in corporib⁹ noſtris hoc aut illo
modo male affectis quęrēda eſt hęc occaſio.
Nō enim ſubitaneus aliquis ſyderū ſeu pla-
netarū exortus ſanguinē aut humorem aliū
ex craſſo tenuem, & qui multum impactus
ſit aut aliqua ex cauſa difficile moueatur, ili-
co fluidum & mobilem rędere poteſt pau-
carum horarum ſpatio, magis quā corporis
motus, & victus ratio, attenuans, incidens,
2. Apho. 9. abſtergens & humectans, vt nos doçēt Hip-
pocrates & Galenus, quī docent corpora ad
purgationē aut ad venę ſectionē prępparare.
adeo vt ſi ſanguis fluidus eſt, ſi iam humores
tenues, & viæ per quas purgatio futura eſt,
recluſæ ſunt, iā vtroquoq; horum remedio-
rum opus eſſe videbitur, vti liceat, etam ſi
ſyderū ſit aliquis aſpectus toruus, qui pro-
gnoſtas aut vulgus indoctū terreat. Nobis

certè differre remediũ, quod ægrotanti salu
berrimum & opportunissimum est, nõ con
uenit. Neminem tamen hic opinari velim,
me Astronomiã diuinissimam artem cauil-
lari, aut syderibus suas facultates denegare,
sed omnes intelligere velim, dũtaxat nostri
instituti esse, demonstrare, aliunde potius oc
casionem hisce remedijs vtendi vel non vtẽ-
di, capiendam esse. Quod vel hoc solo argu-
mento patet. nam si regionum natura varia
est, nõ solum ob variam cœli plagã sub qua
sitæ sunt, sed etiam ob montium, syluarum,
ventorum, aquarum rationem, quæ sæpè in
vna & eadem regione multiformis est, non
poterit syderũ aspectibus, aeris dispositio sẽ-
per & vbiq; respõdere, nec prędictio de aeris
dispositiõe futura poterit, esse vtiq; vsq; adeo
certa. Deinde si corporum varietas est infi-
nita, non solum ob regionũ & cœli naturã,
sed etiam ob victum & ętatẽ & alias multas
causas, quænam erit obsecro ex astris istorũ
remediorum indictio certa & stata? Nam cũ
vnicuiq; suum sit remedium, neutro istorũ
de quibus hactenus loquuti sumus vti licet,
si ægrotus sit puer, aut senex, aut imbecilli
stomacho, etiã si per geminas cruces aspect?

Pontan. in dialo. suo.

Cent. Ptol. & Trape.

li. 1. ad Gl. li. de curat. per phleb. li. 3. metho.

li.1 ad Gl. lib.4. met. li.4.de sanit. tuend. optimus designetur. Itaq; iis vel parcissimè vtendū tunc erit, vel potius aliud remediū in eorū locum substituendū. Adeo necessarium est semper morbum & partem morbo affectam, & vires corporis contēplari potius quam sydera. Ergo qui morbi cuiusq; exactiorē noticiā sibi pepererit, & corporis naturam pernouerit, & naturæ cū morbo cōflictum diligenter considerauerit, is quo quomodo & quando ea iuuanda sit, optimè videbit. Et si quid vtiliter in corporibus nostris fieri aduerterit, id sinet: si quid tardius procedere perpēderit, iuuabit: quod male fit, inhibebit, aut certe alio deflectet. Atq; in his sane totius cardo rei versatur. Cōsiderandaautem ista sunt in ægrotis.

Conclusio.

CAPVT. II.

De sanis.

AT qui integra sanitate fruūtur iis nulla euacuatio per venę sectionē aut per pharmaca conducit. vt docet Hip. Nā his exercitiū conueniens, et dieta boni succi, & excremētis vacās sufficit. Si qui horū, vt vulgo fit, cōsueti sunt potius pharmacis vel phlebotomia vti, intelligant se male sibi imposterum consulere, & corpus suum ad actiones omnes infirmius reddere, & morbis quam

2. Aph. 37. 2. Aph. 16. 4. Aph. 16. co. Gal. li. 3 Ap. 15.

plurimis obnoxium. At qui ęgrotare cõsueuerunt, & dubia sanitate fruuntur, ijs Hipocrates & Galenus assignant nõ paucos dies, aut semidies, sed eos vacuandos docent per totũ ver & autumnũ. Nec id à prandio faciẽdum suadent, vt nostri frequẽter faciunt, sed mane potius, & stomacho à cibis vacuo. Tẽpus autem hisce remedijs vtendi, ita exigẽte corporis dispositione, est conuenientissimũ, vbi ea quæ prius sumpseris, rite concoxeris, & quũ descenderit cibus, ac stomachus vacuus sit, si secanda erit vena: aut si purgandum erit, curandũ est pręterea vt humores sint præparati, & viæ reclusæ, & ne sit in me saraicis venis per quas humor vacuãdus attrahi & tansire delet, cruditas magna, vel obstructio. Nec cõmittendũ est unquam vt medicamẽtum exhibeatur a cibo, vt quidã faciunt, dum à prandio aut à cœna pharmaca exhibent, quæ quidem aut cibũ corrumpunt, aut ob cibum, quicũ miscentur, vires suas amittunt. Quod si hic se dicant cõsulere aut sequi syderum aspectus, videãt obsecro an non potius occasio, ista propinandi, ex corporis dispositione, aptitudine, ac præparatione eiusdem accipiẽda sit. Hippocratem potius imitari debebant, qui in vulneribus

6. Aph. 49 Gal. li. quos & quando oporteat purgare. & li. de cu. per vene sectione.

Nec a cœna nec a cibo pharmacum sumendum esse.

Hip. de vl. Ga. 4 met.

magnis qualibet die ſanguinẽ vacuat, & in vlceribus vetuſtis ſanguinem tum ex vlcere ipſo, tum ex loco circumuicino, crebrò ſcarificando educit, nulla ſyderum aſpectus ratione habita, nec lunę facta mentione, an forte illis partibus preſideat aut nõ. Deniq; quum Galenus aquam frigidam, aut alia agoniſtica ſiue potentia remedia exhibet, anne tum ab aſtris conſilium petit? An potius a diſpoſitione ipſa id requirente, & à partiũ affectarũ natura, & à notis cõcoctionis morbi? Nonne idem etiam in ſanis quandocũq; uel minimum lædũtur, omni momento, quoquomodo ſuccurrẽdũ docet, ne ſcilicet noxa, tametſi parua adhuc, paulatim aucta, tandem morbum inſignem adferat? Quod ſi quis forte hic nobis dicat, corpora noſtra maximę referre naturam regionum & cœli ſub quo viuimus: & ex aëre plurimos morbos naſci, ideoq; maximam eius habendam rationem: Conſtitutionem aeris qualẽcũq; quæ multum excedat, & quæ diu ſit talis, plurimum in nos agere antè confeſſi ſumus & ſedulò obſeruandum eſſe. Sed breuem aliquẽ planetarum aſpectum qui forte ſex aut 12. horas durabit, minimum indicare doceo, ſi cum cauſis internis conferas. dico cum

Lima

li. 9. meth.

li. 1. & 5. de ſanit. tuen.

Obiectio.

Solutio.

morbo et cum causa morbi, siue humorum peccantium quantitate & qualitate, & eorundem fluxu: vnde insignes in corporibus nostris fiunt subitò aut paulo post obstructiones, intemperies, actionum læsiones, putre factiones, dolores: quæ omnia subitaneũ ac præsens remedium postulant. Et certè plurimi ex aëris occasione nati morbi, ferè hisce causis mediis nos affligunt. Aut si hę internæ causę coniunctę non sunt, mitius est malum: si adsunt, duplo grauius est, ut in peste & alijs vulgaribus malis siue epidemijs quæ aëris ratione nascuntur, satis patet. In quibus vtrum aëris infectio, an potius sanguinis & humorum uitium cõiunctum, uacuationem requirat, cuiuis facilimum est discernere. Nam causæ internę et coniunctę (humores peccantes uocant) euacuationẽ, externæ uero alterationem potius & quæ alexipharmaca vocantur, requirunt. Quam obrem hic concludendum puto quum occasionem prędictis remedijs aut agonisticis seu potentibus alijs vtendi quærimus, videndum esse potius quid in corporibus nostris cõtingat, quam quid in cælo agatur: & quid vires nobis innatæ possint potius, quã quid aspectus

Etiam in peste & pestiferis morbis maximum malũ ex nobis ipsis oritur.

Conclusio.

aſpectus Planetarum.

CAPVT. III.

De vſu balneorum.

SEquitur vt dicamus de Balneorum vſu, de quo etiam ſi dijs placet, noſtri Prognoſtæ ex ſyderum ratione ſcribunt, quum tamen etiam horum occaſio non putanda ſit nobis à ſyderibus præſtari, hoc aut illo die, ſed potius pro ut corpus varie affectum, hoc aut illo balnei genere indiget. Nõ enim vnum eſt genus balneorum. Sed Balnei dulcium aquarum vſus, apud noſtros rarus admodum eſt, ideoq; de eo nunc nihil agemus

Hip. li. 3 de rat. vict. in morb. acu. Ga. 10 me. Poſſem tamen ex Hipp. & Gal. huius opportunitatem & vtilitatem breuiter docere. Cęterorum vſum, neotericorum quam plurimi latiſſimè tradiderunt: quamobrem ad aliud tranſibo, magis hercle examinandum.

CAPVT. IIII.

An liceat incidere membrum in quo eſt luna.

VEtant contingere ferro membrum in quo dominatur Luna vt ipſi loquũtur. Hos nimium rogare velim, cum aliquibus pertunditur vena, aut aliter vulneratur pars, cui ſecundum ipſos tum forte præeſt Luna

Luna, si tũ ijs in loco vulnerato oboriatur inflammatio, aut alius tumor, aut dolor aliquis, vtrum ea ob lunæ dominium contingere putent. Quod si aiunt, mirum quod non omnibus, aut saltem pluribus sæpius ea contingant. sin negant, aliæ inueniendæ sũt horum accidentium causæ, quas breuiter ex veterum doctrina edocebo. Igitur (omissis noxis quæ nonnunquam ob instrumenti ineptitudinem, & ob medicantis imperitiã contingunt) sicui in parte aliqua læsus est neruus, maximè tamen si punctus, aut ex dimidio cæsus est, ibi dolorem primùm, deinde inflammationem, sepè etiam spasmum, febrem, delirium, vigiliam consequi videmus. Horum malorum causa est in neruo qui sensus facultate insigni præditus est, & mala sua facile cerebro & reliquo sæpè corpori communicat. At in vomicarum & abscessuum sectionibus, cum forte denudantur nerui, facillimè ab externo frigore feriuntur & læduntur, adeo vt partium actiones, in quas inseruntur, maximè deprauentur, aut spasmo aut alio quodam accidenti vexentur. Quod si vena insignis aliqua transuersim præcisa est, pars exinde macilentior euadit

Causę accidentium in membris lęsis non in luna sed in corporibus nostris quęrendę sunt

Ga. 4. met. Idẽ de artẽ medicina. 6. method. lib. 1 de loc. affẽ.

Gracilitas membri ab icuius vsu de fiat.

nadit. Præcedit enim sanguinis copiosi fluxus, & pars imposterum nutrimenti maxima portione fraudatur. Si quando arteria vulnerata subito non coalescit (quam Gal. annotat in pueris & mulieribus coalescere posse) intumescit circumcirca locus sanguine spirituoso, qui è vulnere egreditur & cōpressu digiti regreditur. Quam affectionem vocarunt aneurisma.

Arteria cō glutinatur. Method. 5.

Ga. de tum contra. nā.

Quę vulnera sint incurabilia aut saltem difficilia.

Deniq; vulnera profunda quæ non ritè per purgantur, aut quæ effluxum non habent, aut quæ noua semper sanie madescunt, in corpore carochymo & impuro, aut quæ in debili sunt corpore, vt senili, aut in eo quod plenitudine aliqua, vel visceris alicuius imbecillitate, vel quod cachexia laborat, tū etiā quæcunq; circa iuncturas sunt, aut in partibus admodum siccis, vt vesica & arteria, aut in ijs quæ in perpetuo motu sunt, vt in corde, pulmone, diaphragmate, aut in quibus excrementorum transitus continuus est, vt sunt intestina & renes, aut quæ ita lōgè sitæ sunt, vt pharmaca ad eas peruenire non possint: deniq; ea vulnera omnia, quibuscum sunt complicati affectus alij graues, aut quibus accidentia alia atq; alia superueniunt,

li. 3. 4. 5. & 6. method.

omnia

omnia inquam hæc aut raro aut difficulter ſanantur, etiã ſi adſit quantumuis benignus aſpectus ſyderum. Quod ſi contingat imperitus medicus qui aut imbecilliora aut fortiora medicamenta applicet, ea omnia fient peiora, & tametſi ea ipſa fortè maligna prius non erant, tamen non ſanabuntur. De his omnibus latius Galenus in methodo ſuo agit. Quod ſi quis ob muſculorum temporalium ictum aut contuſionem, in paralyſim, ſpaſmum, ſoporem incidat, aut morte ſubitò occupetur, ad Lunam, harum rerũ cauſa, referenda non eſt: niſi ſi refugium & excuſationem ignorantiæ tuæ quæras. Nam hæc ob naturam partium contingunt, quæ & cerebro propinquæ ſunt, & per nervos inde oriundos facilè mala ſua illi communicãt. Similis conſideratio adhibenda eſt, ſi quando ex oſſis in caput depreſsione, ſimilia eueniant. Nec verò mirum videri debet, quod quidam ex punctu aciculæ circa vnguium radices, aut alioqui in neruoſo loco mortui ſunt: non magis quam quod quidam ex vulnere partium neruoſarum, conuulſi vita excedunt. Nam nerui ex natura, inter omnes partes corporis maxima ſenti-

Lib. 3. 4. 5. & 6. method. Vulnera temporum periculoſa.

Hip. de vulne. capita.

Depreſſio oſsis in caput.

endi

endi facultate præstant,& parti principi con iuncti sunt. Hinc vitium & noxam suam ad illam facilè transmittunt, siue inflammatio in ijs sit, siue aliud quiddam eos inuaserit.

§. Apho. 8. li. de arte med. & li. 3. de locis affect. & li. 5. meth.

Horum omnium testimonia & euenta in bello sunt frequentiora & manifestiora, ubi sæpè etiam exiguum vulnus aut contusio aliqua, tametsi leuior visa, non solum putrefactiones partium, sed etiam gangrenas mortales attulit, dum nec satis cognoscitur malum, nec natura partis affectæ considera tur, nec adhibentur medicamenta propicia. Quis hic astra cauillabitur? maximè si com plicati sunt affectuis, vt ex ictibus bombar darum contingit, ex quibus non solum fracturæ, & contritiones partium, sed & vulnera adiuncta, & musculorum & neruorũ circumiacentium contusiones, & partium dolore affectarum multitudo, periculum maius adferunt. Possem hæc latius declarare, nisi me deterreret prolixitas. atq; adeo iamdudum res satis ita clara est, vt longiore probatione non habeat opus. Illud tamen addere non inutile videtur, quod si econtrà vulnus simplex vsquã contingat in corpore bene habito, & bene temperato, sola ligatu

Vulnera belli.

Læsiones bombard.

Quę vulnera facile curentur.

ra

ra conueniens, ad conglutinationem sufficit: (etiam teste Galeno) nullo hic aspectus astrorum expectato præsidio. Scio Guidonem vetare trepanum imprimi pleni lunio, quod tum videatur cerebrum augeri. quod ego nõ nego. Nam id etiam alias eunuchis augeri testatur Aristoteles in problematis. Quin & medullam augeri conspicimus omnes plenilunijs. Nam astris suas facultates peculiares nullo modo denegauerim. Sed ego occasionem trepano vtendi aliunde peti volo, vt si sanies aliqua effatu digna, aut sanguis supra duram membranam quam vocant effusus sit, qui eam dum in grumum, aut in pus mutatus fuerit, male affecturus sit, quum neq; per nares, os, aures, neq; per futuras excernatur, aut resoluatur, protinus huic exitum molietur prudens chirurgus trepano, charactere, scalpro, aut simili aliquo securo instrumento, qualecunq; excogitari poterit, ne si diutius auxilium differatur, dura membrana corrumpatur, seu, vt ipsi loquuntur, alteretur, & noxa deinde perueniat ad cerebrum, vnde certissima mors impendeat. Similis necessitas trepano subito vtendi, aut etiam maior

Gal. met. 3

Obiectio de plenilunio. Guid. trac. 3. doctri. 2.

Quando vtendum trepano aut similibus instrumentis

vrget, si quando os depressum, eãdem membranã, & per consequens cerebrum premẽdo, soporem, spasmum, paralysim, & spi-
Conclusio. rationis priuationem adfert. Igitur satis apparet improsperos rerum huiusmodi successus non ad astra referendos esse, sed ad morborum, causarum, & accidentium magnitudinem, & ad naturam partium affectarum, aliquando ad remediorum inopiam aut ineptitudinem. Si quis forte dicet membrum ipsum ob lunæ dominium humidius fieri, aut in eo aliquem humorum motum cieri, aut occultam quampiam malignam proprietatem imprimi membro vulnerato, cerre omnia hæc, & si qua forte sunt alia eiusmodi, non sunt adeo manifesta aut tanta, vt circa ea medicum siue chirurgum multum torqueri oporteat, cum omnia quæ vulneris curationem magis impediant, sint sensibus ferè exposita, vt tumor, dolor, intemperies, sordes, liuor, durities partis, aliaq; similia. Quod si quis aliquid occultum parti à Luna imprimi forte posse obijciat, respondeo id & multo plura, & maiora quotidie à natura curari, vt patet in morbo venereo, & in alijs difficillimis morbis, tam

exo

externis quam internis.

CAPVT. V.

NOn inutile videtur etiam admonere de eo quod Prognostæ ineptè & importunè certos dies aut horas designant cauteriis, & incisionibus seu apertionibus abscessuum. Nam vt vno verbo dicam, non ex dierum obseruatione, aut ex Planetarum aspectibus, præstatur nobis hæc commodè obeundi occasio, sed magis ex vomicarum seu suppurantium phlegmonarum maturitate: quam possum docere Hippocratem & P. Aegenetã aliquando preuenire, cũ scilicet propinqui sunt hi affectus articulis, aut nobilibus membris, cumq; ab eruptione ad interiora, aut ab ossium corruptione ex longiore mora, metus est. Nam hinc fistulæ difficillimę aliquando etiam penetrantes vt loquuntur, aut vlcera maligniſſima cauernosa, partium aliquarum deperditio, internorum membrorum arrosio oritur, vnde tandem mors sæpè subsequitur.

De Cauteriis & de sectionibus.

Hip. de fist. P. Ae. li. 6. capite 34.

CAPVT. VI.

De vnguibus secandis & barba radenda

PLura sunt alia, quæ fortasse tædiosius esset singulatim redarguere, inter quæ ridicula sunt quæ de vnguibus secandis, & de barba radenda præscribūt. Et me propemodum pudet hæc commemorare. Nam quod ad vngues attinet, qui nobis præter cæteros vsus, ad apprehendendum firmius pusilla quædam, à natura dati sunt, etiam pueris notum est, dum eiusmodi actioni aut vtilitati, eorum longitudo impedimento est iam tum secandos esse. Nec quenquam tam sensu communi priuatum esse opinor, vt in hac re, aut in barba radenda, sydera consulat, quæ Deus non ad nugas has indicandas, sed ad magna quædam creauit, vt alias demonstrabimus.

Gal. de vsu parti. lib. 1.

CAPVT. VII.

De tempore generationis.

QVid, quod ijdem de generationis tempore, & de conceptione multa absurda prædicunt, nonne merito suo se alijs deridendos præbent? nam si de hac re seriò agendum est, sunt de hac re alia quędam certiora

tiora scripta ab Hippocrate & Paulo Aegineta, quæ ratione & experientia quotidie in vita communi comprobantur. P. Ae. lib.

CAPVT. VIII.

DEscribunt nobis ijdem Prognostæ planetas attractioni, expulsioni, & cęteris facultatibus naturalibus iuuandis idoneos: quasi non satis constet vel ex ijs quæ prius diximus, quandocunq; virtus aliqua laboret, aut quandocũq; calor naturalis, qui omnium actionum est autor, debilitetur, eũ semper iuuandum esse, qualiscunq; tandem sit Planetarum aspectus. De virtutibus naturalibus. Gal. de facultatibus naturalibus.

CAPVT. IX.

GArgarismos ego nõ ex syderibus prę scribo, vt ipsi faciunt, sed quum fauces ægrotant. Atq; aliàs alio vtor, prout natura morbi mihi requirere videtur. Nunc astringo, nunc mitigo, nunc resoluo, nunc aliud ago, prout res exigit. Nec semper id liquida seu potabili forma, id est gargarismo facio, sed pro eo sæpè puluere vtor, insufflando, sæpè medicamentum linctus forma De Gargarismis. Gal. li. 6. de com. pharsecund. loc. Aet. tetra. 2. Serm. 4.

& consistentia, laboranti parti leniter appri-
mo, pro ut mihi ex vsu esse videtur, natura
affectus & affecti loci id indicante.

CAPVT. X.

De mouendo vomitu.

VOmitiua nunquam exhibeo, quantiuis videantur ad eam rem propitij planetæ, nisi si in ventris capacitate innatet aliquid, quod euacuari subito expediat, & ventriculus ex naturali constitutione, aut ex alia causa, non omnino eiusmodi vacuationi resistat.

Gal. 7. met. & lib. 1. de loc. affe.

CAPVT. XI.

De Clysteribus.

QVid iam de clysteribus istorũ dicam? Quos etiam si dijs placet, ex astris indicunt. At ego ex corporis dispositione id requirente. Nam sicui obstructa est aluus excrementis siccis ac duris, & si fortè stomachus sensibilis ac debilis est, & qui facile læ-
di soleat à malo humore aliquo, ne horæ quidem momento differendum clysteris vsum aio, ne dum tempus ex astris designatum expectatur, ex hac retentione, maximè noxia humorum aut fumorum regurgitatio,

tio ad nobiliora membra fortè contingat, quod etiam minimo temporis momento, fæpè contingit: de qua re agit Galenus plu- ribus locis. Gal. vlt. de cauſ. ſympt. li. 6. de ſan.

CAPVT. XII.

NOn vacat autem minori abſurditate quod ex aſtris ſcilicet fomam medica menti præſcribunt, vtrum videlicet pillu- lis, electuarijs, an potionibus vtendum ſit. mirum non addidiſſe eos, vtrum linimento, vnguento, emplaſtro, cataplaſmate, an cera- to vtendum ſit. Nam aſtra tam foris in nos agere credendum eſt, quam intus. Sed iam propemodum tædet me toties repetere, om nia hæc agenda eſſe prout morbus & partis affectæ natura exigit. Addo cuiuſq; propri- etatem in omnibus remedijs, perinde vt in victu, conſiderandam eſſe, eiq; obſecundan- dum. Nam is erit ſecundum Galenum op- timus cuiuſq; particularis ægritudinis me- dicus, qui iam Methodum comparauit, ex qua & dignoſcere naturas poſſit, & conie- ctura conſequi, quæ ſunt cuiuſq; propria re- media. Planetarum certe eorundemq; inter ſe aſpectuum, nec hic, nec alibi meminit, cũ De forma medicamẽti li. 3 meth & autor. libri de paſs. rerũ qui Gal. aſ- ſcribitur. lib. 3, methꝰ

remedijs vtendi occasionem inquirit aut demonstrat. Quapropter non statui de his & huiusmodi abusibus & superstitiosis observationibus, quæ in medicinam ex superstitiore astrologiæ parte irrepserunt, latius agere, attamen de his hactenus egisse omnino visum est necessarium, vt quorundam opiniones refellerem, ob quas sæpè multorum euacuationes, aliaq; remedia cum ipsorum damno procrastinata fuerunt, aliquando etiam à quibusdam ante tempus temerè vsurpata. Atq; hæc sanè causa est, quod neq; nũc Almanach aut Prognostica vulgari modo, tametsi à multis rogatus, scribere voluerim. neq; id Antwerpiæ fecerim, vbi tamen chirurgi quibus tum, cum illic essem, prælegebam, quod id in rem suam maximè cędere arbitrabantur, ad id faciendum sedulò & frequentissimè me solicitabant. Nam hæc non solum ipsis Chirurgis vtiliora sunt, verum etiam alijs omnibus. Scribam autem propediem, volente Deo, in gratiam illorũ atq; adeo in vsum reip. de vulneribus & vlceribus, in quorum curatione hodie plurimum à quibusdam peccatur, qui præcepta Galeni & doctrinam Hippocratis in vtrisq;

vulgo

vulgò non admodum obſeruant. Addam etiã de abuſibus Guaiaci, id eſt ligni ſancti, vel potius de recto eius vſu, ſi modo iſta quæ iam ſcribo, rectè accipi intellexero.

CAPVT. XIII.

NVnc autem antequam faciam finem mihi rerum conſequentia ducto vnũ quoddam addere nõ importunum videtur. nempe quod ſoleant quidam prognoſtæ noſtri inter cætera, etiam prædicere principum & magnatum & cæterorum ſæpè hominũ fortunas, bellum etiam & pacem, & mutationes rerumpublicarum. Hoc tametſi ad mediços non attinet, libet tamen reſpondere, Platonem, Ariſtotelem, Hippocratem, hanc ſuperſtitioſam diuinandi artem minimè coluiſſe, nec de ea eſſe loquutos, ſed de ea quæ motus, ortus & occaſus cœleſtium metitur. Id quod etiam Ioannes Manardus inſignis medicus latiſſimè docuit. Atq; ex his, non fortunas hominum, ſed varios lunæ defectus, & ſolis labores, atq; aëreas mutationes vaticinantur, id eſt, conſiderari iubent anni tempora, ventos, loca, regiones, vt per ea mutationes temporum doceant, et

De fortunis principum & ſimilibus rebus

Epiſt. medicl. lib. 15.

cum ijs simul ventrium nostrorum mutationes. de quibus idem latius agit in epistolis suis medicinalibus, & Pontanus in dialogo suo. Istud mihi nunc admonuisse & ostendisse sufficit, quod qui istorum meminerit, & didicerit ex philosophia & ex vita communi, quid calor, quid frigus in nos possit, vndecunq; oriatur, & qui aduerterit, superiorum astrorum vires, ab inferioribus causis sæpè impediri, sæpè vinci vt ostendimus hic inquam in nobis diætam optimè instituet, cuius gratia vt modo diximus, mutationes temporum & secundum ea ventriũ nostrorum, veteres ex astris obseruarunt: et simul intelliget Principum, & reliquorum hominum animos & consilia (vt ab astris patiantur aliquid, nã nostri nõ est nunc instituti inclinatiões & significationes astrorũ omnino tollere) non tam ab astris agi, quam dirigi aut mutari afflatu diuino, institutione, deliberatione, exemplis, educatione, philosophiæ studio, & instinctibus, & animi affectibus, tum etiam consuetudine cibi, potus, exercitationis, videndi & audiendi, interdũ etiam in deterius flecti à diabolo. Adeo vt hinc liceat colligere rectè dixisse Ptolomæũ,

Pont. in dialogo suo de fat. astr.

Sententia breuiter multa decidens.

A quibus rebus hominum animi mutentur. magis quã ab astris.

lib. 2. de san.

Astro-

Astrologorum decreta non esse prætoria quæ populum parere cogant. Quin idem alibi irridet eos, qui ad particulares prædictiones dilabuntur, vt citat Pontanus. Quãobrem si quotidie videmus etiam insitos à natura mores, aut longo vsu paratos, & tãquam in habitũ versos, tamen à supradictarum causarum aliqua sæpè mutari in melius aut peius: quid de syderum momentaneis inclinationibus, siue impressionibus dicemus? An à causis ijsdem impediri ac infringi posse negabimus, quum apud omnes homines consilia, exempla, instinctus, deliberationes, victus ac vitæ ratio, & animi affectus plurimum possint, imo potius omnia ferè efficiant? Quamobrem tametsi solem motionum principium statuendum esse vt Aristoteles ait, & mundum hunc inferiorem à superiori gubernari, non temerè negauerim, si mihi de generatione siue de natura rerum disputandum sit: nunc tamen mihi satis est ostendisse, syderum aspectus, siue Astrorum facultates ab alijs causis inferioribus, coniunctis, innatis, acquisitis, internis, sæpissimè obscurari, obtundi, impediri ac vinci: nec non occasionem reme-

Ptolomęus Astrologię incertitudinem insinuat quodam dicto. Pont. in dialogo suo. li. 1. de fan.

Conclusio.

C. vi. dijs

diis circa corpus nostrum vtendi, non ab astris petendam esse, sed ex corporis nostri dispositione, hoc aut illud auxilium requirente ac indicante: non enim hunc esse astronomię vsum, sed potius vt temporum mutationes ex ea obseruare discamus, & prout ea exigit dictam in sanis & ægris optimè instituamus, quam scilicet ad morborum generationē & ad eorundem solutionem plurimum posse omnes probati medici vno consensu docent.

PROBLEMATA
QVAEDAM PHYSICA
Petri Dacqueti Doctoris
medici.

Ἡ φύσις αὐτοδίδακτος.
Natura per se edocta est.

Epigramma ad Lectorem.

Natura vt sese custodiat, absque magistro
Per se cuncta facit, uiribus usa suis.
Hanc medicus quisquis quā proximè ubiq; sequetur
Hic demum euadet certus in arte sua.

calorem fouere cogitamus, qui auctior reditus morbum facilius euincat: frictione vero cutis rarefactionem, & humorum attenuationem & eorundem resolutionem paramus?

6. Cur sudorem primùm in oculis abstergimus? an quia quum humidissimi sint, plurimum exudant? an potius quia eorum vsus nobis ante omnia est necessarius?

7. Cur sternutantes salutamus? an diuinam hominis partem reueriti, in qua residet anima rationalis, excrementis quæ eam grauissimè lędere poterant, fœlicem exitum congratulamur?

8. Cur manus adurentes, eas ilico vibramus? an noxam nempe cinerem vel adurẽtem festucam excutere cogitamus? an ventilatione refrigerationem quærimus?

9. Cur iudicantes sedent? an quia sedendo anima fit sapientior, & sic causas melius dignoscit?

10. Cur irati supercilia contrahunt, ringuntur, & toruum tuentur? An quia quodammodo se à re obiecta retrahũt? an quia in se cõtracti, rẽ obiectam fortius repellere nitun tur? id quod & expuendo postea nnunquã

attestari

attestari videntur?

Cur qui parte aliqua ægrotant, tamẽ diu 11.
sæpè viuunt? An quia illuc exonerat totum
corpus natura?

Cur digitum punctim læsum exprimi- 12.
mus aut exugimus? an quia hoc modo sa-
niem seu cruorem elicimus, quę diutius illic
detẽta noxas insignes vt inflammationem,
putrefactionem, rosionem aut spasmum in-
ferrent?

Cur ebriosis & ijs quibus caput dolet, 13.
inedia noxia est? an quia inedia agitat spi-
ritus & humores: cibus vero quietem addu
cit? an quia ex præcedente diæta sursum ex-
halat aliquid amplius, quod cibus sump-
tus deprimit?

Cur febris vulgò dicitur puerorum cor- 14.
pus augere? an quia partes carnosas consu-
mit, vnde reliquum corpus videatur ma-
gis extensum? an quia consumptis per fe-
brilem calorem humoribus vitiosis, natura
declinante morbo & post etiam ad augen-
dum corpus fit promptior?

Cur mortuis crescunt vngues & pili? an 15.
consumpta circa vnguium radices & pilos,
carne, longiores videntur?

Cur

16. Cur conualescentes complures libidinosi fiunt? an quia humores qui in intimis vasis latebant, per morbi tempora nequiuerunt excerni, postea vero natura quasi reuiuiscēs eos ad expulsionem mouet? an quia per lōgam moram sperma redditum est acrius, ideoq; magis tentigine vrget?

17. Cur scalpentes partem aliquam prurientem tanta voluptate afficimur? an quia mordicantibus excrementis scalpendo exitum molimur?

18. Qui fit vt senes fere sint recurui? an quia natura eorum, viribus musculorum tergum retrahentium destituta, ponderi deorsum nutanti resistere non potest?

19. Cur mortui seipsis viuis longiores apparent? an quia musculi qui corpus viuum retrahebant quoquouersum, nunc vndiquaque soluti sunt, vt hoc pacto corpus magis extendi videatur? An quia consumpta carne gracilescunt corpora, ideoq; longiora appà rent?

20. Cur quidam ex esu halecis aut salmonis recentis, aut alius rei absurdæ à longa ægrotatione conualescunt? an quia natura re desiderata potita magis in se colligitur, & sic fa-

facilius simul reliquias morbi concoquit & consumit? An quia talium esus in declinatione morbi plærumq; contingit?

Cur quidam ex pauciſsima halecis aut salmonis aut alius rei cuiuslibet comestione in morbum longum cadunt? an quia prius in se prauorum humorum copiam continebant, qui ex huiusmodi occasione commoti abhorrescente natura, morbum longum creant? 21.

Cur quidam à quibusdam morbis sine medici opera conualescunt? an quia sæpè fortuna imprudentibus ipsis remediũ ministrat? An quia aliquando morbus est paruus, quem natura per se curat? 22.

LONDINI,
apud Reginaldum
Wolfium.

ANNO DO. M. D. LVI.